

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XV. Qualiter homo qui amat veritatem orare debet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

ipsa investigaret, in quo gratiam suam effundere posset. Tunc querelas ingeminans, exclamavit Dominus : Ex hospitio cordis sui per suum liberum arbitrium expellunt me; verum si nullum in eo invenio locum, illos in suo libero arbitrio stare permittam, et cum morientur, quales tunc invenerim, tales ego judicabo. Tunc oravi pro Congregatione : Dilecte Domine, ne illos perire permittas; in illorum cœmeterio lumen ponam, ex quo seipsos poterunt cognoscere.

XIV. DE ELECTIONE ET BENEDICTIONE DEI.

ALIA nocte cum in oratione mea essem cum magno desiderio, absque ullo dubio novi Dominum adesse. Stabat in cœmeterio, coram se habens totam Congregationem, eo ordine compositam quo quis ad claustrum venisset. Sicque ad illas est locutus : Ego vos elegi, vos eligite me; multum vobis dare volo. Et dixi : Domine, quid vis illis dare? Respondit : Volo illas perspicuum in terra facere speculum, ita ut quicumque voluerint, in his suam vitam cognoscere quæ sit debeant. In cœlis vero lucidum illas constituere speculum, ita ut qui illas conspexerint, quomodo ego illas elegerim clare agnoscant.

Tunc extendit Dominus dexteram, deditque illis suam benedictionem dicens : Vos benedico cum meipso; vos me in omnibus cogitationibus velitis. Hi quidem qui Dominum in omnibus cogitationibus suis volunt, sunt illi beati qui Dominum recte laudant. Tunc dixi : Illæ modum quo te viderim nosse cupiunt. Respondit : Inter ipsas quædam sunt quæ me noverunt.

XV. QUALITER HOMO QUI AMAT VERITATEM ORARE DEBET.

QUI veritatem amaverit, sic libenter oret : Eia dilecte Domine, fave mihi atque subveni, quatenus te indesinenter cum omnibus sensibus meis, in omni re pie

quæram, quia præ cæteris quibuslibet te Dominum elegi, et præ omnibus principibus te animæ meæ sponsum consecravi. Da mihi etiam, Domine, ut te in omni desiderio meo, cum accenditur rursusque extinguitur, semper inveniam. Item peropto ut te frui cum fluenti amore omnium tuorum donorum valeam. Tua exuberantia reple os meum, Domine, qua mihi quælibet pœna, despectio, amaritudo dulcescere queat. Ex tua gratia illud semper mihi fiat, piissime Deus, nuncque illud serva mihi. Item me adjuva, Domine, ut te semper observem in omnibus meis voluntatibus juxta tuum beneplacitum: sic nunquam exstinguetur in me tui flamma amoris. Amen.

XVI. QUALITER HOMO DESIDERAT ATQUE ORAT.

CUM quis supra omnia dona omnesque pœnas, præcipue desiderat animam suam a Deo beato fine solvendam, dicit Dominus: Expecta me. Et ille: Dilecte Domine, in vanum nolo meum desiderium erogare, adeo tecum libenter essem. Dicit Dominus: Tuum habeo desiderium, antequam mundus inciperet; te desidero, et tu desideras me; cum autem duo ardentia utrimque desideria conveniunt, tunc perfectus est amor.

XVII. COGNITIONIS CUM CONSCIENTIA COLLOQUIUM.

COGNITIO sic alloquitur Conscientiam: Quantum tibi despectionis atque vexationis infertur, licet tamen stas pura ante Deum!

Conscientia: Domna Cognitio, bonum verbum dixisti: qui suos omnes perpendit errores, debet humile cor habere.

Cognitio: Domna Conscientia, tam pretiosum speculum est tibi, quod sæpius in die te intime potes intueri; illud quidem esse debet vivens Dei Filius cum suis omnibus operibus; alioquin adeo sapiens esse non posses.